



# Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

---

---

ORATIO CREWIANA.

---

---

1915

...

...

...

# ORATIO CREWIANA

IN THEATRO SHELDONIANO OXON.

HABITA

VII KAL. JULII MDCCC.

A GULIELMO CROWE, LL. B. E COLL. NOV.

PUBLIC. UNIV. ORATORE.

---

γινωσκομθα  
δ' Αρετα κλεινοισ αοιδοισ  
χρονα τελεθει  
παυσις δε σραξαδ' ευμαρες.

PIND. Pyth. Od. 3.

---

OXONII:

TYPIS ACADEMICIS, IMPENSIS J. COOKE.

PROSTAT VENALIS APUD F. ET C. RIVINGTON, CADELL ET DAVIES, ET  
D. BREMNER, LONDINI.

MDCCC.

(7)



---

ORATIO CREWIANA  
IN THEATRO OXON. HABITA.

ANNO MDCCC.

---

CUM biennio ante apud vos, Academici, de Musica dicerem, propositum mihi erat aliquid de Poetica adjungere, ut quæ plerumque conjunctæ sunt, et se invicem ipsæ commendant artes, ipse una oratione complecterer. Sed consilium id meum antevertit præclara illa vestra, Academici, conspiratio et conscriptio militaris, quæ cum cæteros omnes, tum me etiam in admirationem sui ducebat, et tantum non voce flagitabat laudationem qualemcunque meam. Quin etiam gloriam hanc vestram magno jam cumulo auxistis: nam quæ, primo statim initio, alacritati et optimæ in rempublicam voluntati laus debita est, eadem nunc merito debetur constantiæ vestræ, et in armorum usu peritiæ singulari. Quapropter existimo vos esse dignos, quos, non hæc mea exilis oratiuncula, sed potius plenissimæ poetarum voces exor-

nent; quoniam inter præcipua poetices officia semper habitum est illos extollere et celebrare carminibus qui pro patria arma ceperunt.

Degener abhinc et depravatus usus hujusce artis interdum subsecutus est. Quippe bella, et pugnae, et, quæ vocantur, heroum fortia facta, sunt versibus decantata: poeta vero quærebat, non causam quam celebraret, sed fortunam; et bellatorem esse virtutis loco ponebat. Atqui non ita profecto antiquissimi ii vates qui poeticam primi excoluerunt: ab illis sumpta est materies et dignior et præstantior; quamobrem etiam sancti deorumque interpretes, nec immerito, sunt appellati: quod videlicet pietatem et justitiam docebant, et ad virtutem auditores suos excitabant, de clarorum hominum virtutibus canendo.

Quod initium Poeseos, ut in aliis gentibus, sic etiam in nostra fuisse legimus: in qua olim, nempe sub finem sæculi septimi (iniquo sane tempore, et ævo prorsus rudi et barbaro) existit episcopus ALDHELMUS<sup>a</sup>; cujus memoria, licet ob-

<sup>a</sup> Ista sunt ejus (Aldhelmi scil.) verba in calce libri quem fecit de Schematibus. "Hæc (inquit) de metrorum generibus et schematibus pro utilitate ingenii mei habes, multum laboriose, nescio si fructuose, collecta; quamvis mihi conscius sum illud me Virgilianum posse jactare,

Primus ego in patriam mecum, modo vita superfit,  
Aonio rediens deducam vertice Musas."

scurata jamdudum et tenebris quodammodo obducta, tamen in vetustis rerum Anglicarum annalibus adhuc usque conservatur. Is igitur, cum jam non modo poemata, verum etiam de metris et arte poetica librum composuisset, usurpavit Virgilianum illud, se primum in patriam duxisse Musas. Grande id quidem elogium; hoc vero majus, quod indoctum et ferum populum, suavi sua arte, ad religionis cultum revocavit.

Nec vero magnus ille ALFREDUS<sup>b</sup>, quem Academiae

Literis itaque ad plenum instructus, nativæ quoque linguæ non negligebat carmina; adeo ut, teste libro Elfredi, de quo superius dixi<sup>a</sup>, nulla unquam ætate par ei fuerit quisquam Poësim Anglicam posse facere.—Denique commemorat Elfredus Carmen triviale, quod adhuc vulgo cantatur, Aldhelmum fecisse; adjiciens causam qua probet rationabiliter tantum virum his quæ videntur frivolæ institisse: populum eo tempore semi-barbarum, parum divinis sermonibus intentum, statim cantatis Missis domos cursitare solitum; ideoque sanctum virum super pontem qui rura et urbem continuat, abeuntibus se opposuisse obicem, quasi artem cantandi professum. Eo plusquam semel facto plebis favorem et concursum emeritum. Hoc commento sensim inter ludicra verbis Scripturarum insertis, cives ad sanitatem reduxisse; qui, si severe et cum excommunicatione agendum putasset, profecto profecisset nihil.—W. Malmf. de vita Aldhelmi Ep. Scireburn. ap. Whart. Ang. Sac. Par. ii. p. 4.

Claruit præcipue circa An. 680. obiit Anno 709. die 25 Maii. Cave Hist. Liter. vol. i. p. 595.

Jam, quod ait, se laboriosum in scribendo esse, quam vere id dixerit si quis scire velit, adeat Pitseum de illust. Ang. Script. p. 117.

<sup>b</sup> Rex (Alfredus) liberales artes totis medullis indidit, in tantum ut nullus Anglorum fuerit vel intelligendo acutior, vel interpretando elegantior.—Denique plurimam partem Romanæ bibliothecæ Anglorum auribus dedit; opi-

<sup>a</sup> Librum puto aliquem ab Alfredo Rege doctissimo editum intelligit. Not. Edit. Whart.



nostræ patronum, imo parentem agnoscimus et veneramur, non pari gloria claruit. Qui, cum esset omni fere literarum suppellectile instructus, multiplicem, qua pollebat, scientiam ad populi sui mores emolliendos acriter intendit: cujus in laudibus hoc utique memoratur, eum fuisse et musices peritissimum, et poetarum Saxonum longe principem.

Haud mirandum est igitur si ars, per se ipsa gratissima, et exemplo gravissimo commendata nobis, ab eo usque tempore recepta sit et exculta; quod quidem facillime ostendi, et testimoniis adeo multis probari possit. Sed prætereo veteres illos, nescio quo jure, at multo certe in Poësin favore, quos olim Academia laurea donavit<sup>c</sup>. Illa quidem poetas, et ma-

mam prædam peregrinarum mercium civium usibus convectans: Quin et provincialibus grandem amorem studiorum infudit, hos præmiis, illos injuriis hortando.—W. Malmf. de gestis Reg. Ang. lib. 2.

Ita doctus evasit demum, ut grammaticus, philosophus, rhetor, historicus, musicus, et poeta non vulgaris haberetur.—Bal. de Script. Brit. Cent. 2. Vid. et Pitf. de Illust. Ang. Scriptor. p. 170. et Hist. et Antiq. Univ. Oxon. p. 13. &c.

<sup>c</sup> Dicitur Robertus Baston, e Monte Carmelo fraterculus, Poeta laureatus apud Oxonienses emerfisse, Edvardo I. rerum potente.—Mauritium Byrchenfaw, Rhetoricæ scolarem, supplicantem deprehendo, ut admittatur ad informandum, et docendum in eadem facultate; idque ea conditione concessum, ut centum carmina de nobilitate Universitatis contexeret; Ovidium vero de Arte Amandi, Pamphilumque de Amore in Schola sua legi non permetteret.—Inter novissimos gradus Rhetorici candidatos Robertum Whittingtonum offendo A. D. 1512. qui, postquam carmina centena condiderat, laurea

jos nominis, et famam stabiliorem consecutos, gremio suo  
 enutrivit. Quorum in numero fuit is, qui audit

Sermonis Ille fons illimis Anglici,

CHAUCERUS<sup>d</sup>; et, stirpe nobilissima oriundus, COMES ille  
 URREIENSIS<sup>e</sup>, quem judicio iniquissimo damnatum abstulit  
 mors cruenta; nec non, qui postea Academiae Cancellarius  
 fuit, SACKVILLIUS<sup>f</sup> ille, cujus est primum legitimi et justi  
 dramatis exemplar, quod quidem in lingua nostra sit vel edi-  
 tum, vel tentatum: ut merito gloriari possit alma Mater  
 nostra, cum de suo in poeticam studio, tum etiam de poetis  
 clarissimis inter alumnos suos numerandis.

Verum ea Poëtices conditio et fortuna apud nos erat, ut,  
 quanquam assidue coleretur, careret tamen debito honore,  
 donec sub initium hujusce sæculi, per liberalissimum virum  
 HENRICUM BIRKHEAD sedem certam adeptus est, beneficio

in proximis Comitibus insignitus est. Hic celebris ille Whittingtonus est, qui  
 ob artis Grammaticæ peritiam sub Henrico VIII. inclauit, quique de re  
 Grammatica tractatus varios edidit, in quorum altero sese diserte appellat,  
 Protovatem Angliæ, in florentissima Oxoniensi Academia laureatum.—Hist.  
 Antiq. Univ. Oxon. lib. ii. p. 4. Vid. etiam Wartoni Hist. Poëseos Anglic.  
 vol. ii. p. 129. &c.

De jure Poetas laurea coronandi vid. Selden. Tit. Honor. Par. ii. c. 1.

§. 43.

<sup>d</sup> Vide Leland. Com. de Script. Br. p. 419

<sup>e</sup> Vide Wartoni Hist. Poëseos Ang. vol. iii. par. 3. c. 27.

<sup>f</sup> Ibid. vol. iii. p. 355.

ejus stabilita tandem hic, et munificè dotata. Sensit profecto Vir clarissimus, quem jure meritissimo, non modo in patronorum numero reponimus, sed etiam propter vires ingenii celebramus; sensit, inquam, ille quantum ‘Poetarum lectio (utar enim verbis Statuti<sup>s</sup>) tum ad acuenda et expolienda juvenum ingenia, tum etiam ad severioris literaturæ incrementum conducatur.’ Ipse enim, cum esset Collegii Omnium Animarum Socius, in florentissima illa Sodalitate et <sup>h</sup> otium literarum amplexus est, et Musas feliciter excoluit; optimarum utique artium cognitione, et excellenti doctrina ornatus. At vero haud illum crediderim instituisse Lecturam suam eo consilio, ut omnes statim ad poesin se accingerent, quicumque Prælectorem de poetica differentem auscultavissent: quippe noverat ‘cæterarum rerum studia præceptis et arte constare, poetam natura ipsa valere.’<sup>i</sup> Quin hoc potius eum habuisse in animo et prospexisse arbitror; posse in ea arte præcepta dari quæ ad cæteras literarum partes pertineant; exinde fore ut juvenes, postquam hæc didicissent, limatum et subtile judicium ad omne fere genus literaturæ afferre possent.

<sup>s</sup> Appendix Stat. Univ. Oxon. p. 48.

<sup>h</sup> Inter opera sua unum edidit, hoc titulo, *Otium literarum, sive miscellanea quædam poemata*. Consule Athen. Oxon. v. 2.

<sup>i</sup> Cic. Orat. pro Arch. Poet. §. 5.

Recte igitur et juxta rationem instituti Prælectores in Poetica fecisse videntur, qui eam provinciam susceperint quam ornabant antiquitus Grammatici, viri illi eruditissimi atque elegantissimi, qui poetas, historicos, oratores interpretabantur, et de omni genere scriptorum judicabant. Eorum modo Nostri quoque in critica plerumque versati sunt<sup>k</sup>. Talis erat Is qui primus huic muneri præpositus est; cujus præceptiones, cum juvenum utilitati accommodatæ sunt, tum doctissimorum hominum judicio comprobatæ. Talis item Ille, qui excelsis præditus ingenio, exquisitaque doctrina instructus, accessit ad Poësin sacram Hebræorum, et poeticam cum religione conjunxit. Quid porro memorem Illum familiarem et amicum meum, quem in historia Poëseos Anglicanæ scribenda occupatum mors

\* Prælectorum in Poetica series hæc est;

1.	JOSEPHUS TRAPP electus A. D.	1708.
2.	THOM. WARTON	1718.
3.	JOS. SPENCE	1728.
4.	JOH. WHITFIELD	1738.
5.	ROB. LOWTH	1741.
6.	GUL. HAWKINS	1751.
7.	THOM. WARTON	1761.
8.	BENJ. WHEELER	1766.
9.	JOH. RANDOLPH	1776.
10.	ROB. HOLMES	1783.
11.	JAC. HURDIS	1793.

præpropera oppreſſit? Neque enim neceſſe eſt nunc dicere quid in opere iſto, quid in aliis ſuis multis, profecerit, quidve profeciſſet ultra, ni fata prohibuiſſent. Quanti vos cum feceritis, Academici, teſtor voſmetipſos, et luſtuofum illum diem: cum funus ejus duceretur, vobis, ſingulari ſane ſtudio et honore, ad ſepulchrum comitantibus. Enimvero erat in illo viro nativum quoddam, et quaſi jure ſamiliæ datum, ingenium poeticum, et ad literas humaniores apprime aptum et conformatum; quod etiam ad cæteros ſtirpis ejus pertinebat. Nam et <sup>1</sup>Pater eodem, quo ipſe, Prælectoris munere digne perfunctus erat; ſuavis adeo poeta, ac etiam doctus: quin et Soror poemata conſcripſit, et in obitu parentis pietatem ſuam laudabili carmine teſtata eſt: Frater vero, quem inter primarios ſæculi ſui viros poetices laude florentem ipſi vidimus, quam fuerit etiam ab omni elegantiori doctrina inſtructus documento ſit Volumen illud quod de ingenio ſcriptiſque Popii compoſuit, in eo nimirum critices genere, de quo loquor, opus ſingulare; quo quidem nihil rectius, nihil jucundius, nihil ad ingenium juvenile limandum accommodatius aut utilius legi poſſit.

Patiamini, oro, Academici, ut ſaltem hoc animi grati teſtimonio accumulem dilectiſſimum Virum, magiſtrum ali-

<sup>1</sup> Poemata ejus edidit Filius Joſ. Warton, Anno 1748: ad calcem voluminis extat in Obitum Autoris a Filia ſcripta Ode, tenera, ſimplex, venuſta.

quando meum, quem adeo ut parentem sum veneratus ; cui quidem plus uni quam cæteris omnibus me debere ni profiterer palam, essem ingratiſſimus. Video multorum ora jam in me eſſe converſa, expectantium ſcilicet ſi quid de communi præceptore noſtro, in hac celebriſſimate dicturus ſim. Ego vero facile, Wiccamici, voluntati veſtræ obſequerer, ſi, quantum ejus in me merita poſtulant, tantum dicendo poſſem : quæ autem eſt iſta celebritas, aut quis literatorum hominum conventus, qui talis viri laudes non libenter audiat ? Nonne vero fatius eſt tacere quam parum dicere ? Nam, ut præterierim ingenium ejus fertile, doctrinam eximiam, judicium exactiſſimum, quæ omnia jam fama vulgata ſunt et celebrata, quam multa tamen eſſent in vita et moribus ejus cum laude prædicanda ? Quot proferenda exempla liberalitatis, ſapientiæ, et amoris pæne paterni in alumnos ſuos ? Tum in illuſtri ea Schola, cui per tot annos præfuit, regenda, quanta fuerit cura et auctoritate ; in munere graviſſimo obeundo, quantum ab acerbitate remotus ; et ingenium ſiquando in puero eluceret, quam ſagax, quamque propenſus ad fovendum : annis porro ingraveſcentibus, cum jam moleſtiſſimi officii onere defatigatus eſſet, quam longe fuerit ab omni triftitia et querela ſenili ; imo, ad extremum uſque vitæ tempus, quam comis atque jucundus ; ut, etiamſi in ſumma ſenectute deceſſerit, tamen deceſſus ejus immaturus eſſe videretur !—Verum ſit fatiſ hæc leviter attigiſſe, et

vos paulisper ad recordationem anteaetæ ætatis revocasse. Nunquam erit Ille sine debita sua laude, superstitibus vobis; neque vero parva laus est grata vestra memoria post mortem teneri. Hisce quæ jam dicta sunt, desiderio et amore viri charissimi, veniam dabit Academia, et ignoscet pietati nostræ.

Haftenus dixi de Poetica in quantum conferat ad iudicium formandum: Est autem artis hujus et finis alius, et usus longe præstantior; propter quem etiam nuncupatur præclara vitæ emendatrix. Magnum sane præconium, et quod possit excitare statim omnes ad studia poetarum! At videndum est quibus te tradas magistris. Etenim, ut in vita, sic in iis artibus quibus vitæ excolitur, maxima cura adhibenda est ne species honesti te decipiat. Quamobrem tanto magis cavendum est a poetis, quanto magis delinire possunt animum illecebris suis; nam suavitate artis sæpe nimium celatur quod turpe est. Quem non piget, venusta carmina Maronis aut Flacci legentem, inter tot delicias deprehendere ingenium fervile? De cæteris porro, qui sub Imperatoribus vixerunt, quotusquisque invenitur qui sit immunis pudendæ adulationis? Mitto Lucanum; quandoquidem, ut perhibetur, notissima ista Neronis appellatio tota est ironia<sup>m</sup>:

<sup>m</sup> Phars. lib. i. v. 33. &c. Vid. ad locum Lucan. Oudendorp. vol. i. p. 9.

at misereor cum hominis, tum sæculi, quo necesse fuerit illo modo compellare principem. Cæterum cur ego nunc vitium hoc potissimum infector? Nempe ut vos, Juvenes Academici, ab hujusce vitii caveatis—non dicam imitatione: absit istud verbum ab oratione mea tantum, quantum vitium ipsum a pectoribus vestris abest—caveatis modo ab eorum admiratione qui tale quid in se admittunt: simul intelligatis, cui liber animus deest, eum non posse se a turpitudine vindicare, ne summa quidem doctrina et elegantia. Multo melius in hac parte Græci Poetæ; quorum in scriptis plurima passim invenias quæ longe a servitute abhorrent, imo quæ libertatem vehementer spirant, et virtutem laude summa prosequuntur.

Verumenimvero consideranti mihi quemnam potissimum poetam hoc nomine commendem, et circumspicienti omnes, non quisquam occurrit qui MILTONO nostro sit anteponendus. Erat enim, utpote vir sapiens et bonus, libertatis, quam amavit, justus æstimator: erat præterea, propter multas ejus et eximias dotes, poetarum inter principes censendus; in doctrina, elatione animi, et materia operis sui, ipse princeps; ingenio tantum SHAKSPERO soli secundus.

Ne vero putetis, Academici, aut humile esse munus, aut leve nomen poetæ; siquidem in eo, non unum aliquod vul-



gare, sed multa et egregia continentur. Inprimis, plurimarum et optimarum rerum cognitio a longa disciplina profecta; sed ante omnia illud, quod nulla disciplina dare potest, ingenium capax et sublime, a natura insitum, vel, ut rectius dicam, a deo ipso donatum. His accedat necesse est mens sincera, et pectus ab omni scelere vacuum. Quin turpitudine omnis, ac etiam levitas amovenda est; adhibenda autem summa, erga deum pietas, erga homines benevolentia. Ita demum munitus, *processerit longe extra flammantia mœnia mundi, et omne immensum peragraverit mente animoque*: at non eo consilio, quo impius iste olim <sup>n</sup>*Graius homo*, scilicet, ut *Religio*

<sup>n</sup> Primum Graius homo mortales tollere contra  
Est oculos ausus:—  
Ergo vivida vis animi pervicit, et extra  
Processit longe flammantia mœnia Mundi;  
Atque omne immensum peragravit mente animoque.  
Unde refert nobis victor quid possit oriri.—  
Quare Relligio pedibus subjecta vicissim  
Obteritur.

Lucret. lib. i. v. 67. &c.

Ab hoc autore, maxima cum injuria, Religio pro Superstitione plerumque ponitur. Inde fit ut quæ jure possint huic exprobrari, falso in illam conjiciantur. Cujusmodi est illa, quæ subsequitur, Iphigeniæ descriptio. Quam, celebratissima cum sit, pace lectoris hic apponam lingua vernacula redditam; mutato tantum, sicut decet et verum est, Religionis nomine.

Quod contra, sæpius olim &c. v. 83.

Yet Superstition has of old brought forth  
More impious wickedness: witness that time

*pedibus obteratar* ; sed ut *inde referat* impiorum *viCTOR* Poeta, et sistat ante oculos hominum, vivam ipsam Virtutis formam, colores novos indutam, et cœlesti fulgore splendentem, et dulcissimo oris sono, inauditisque ante vocibus, consilia sua divina cum hominibus communicantem. Hoc qui præstiterit, annon is vobis videtur augusto quodam et sancto munere defungi? Vereor equidem, Academici, ut hoc quod

In Aulis, when at Dian's temple met  
 Th' associate Princes, chiefs, the prime of Greece,  
 And stain'd her altar with the virgin blood  
 Of Iphigenia : o'er her youthful locks  
 They bound the fillets ; on her cheeks she felt  
 The dress of sacrifice—but when she saw  
 Beside the altar her dear Father stand  
 In sorrow, and for his sake the Ministers  
 Hiding their knife, and all th' assembly round  
 Weeping at sight of her ; when this she saw,  
 O'ercome with terror on her knees she sunk.  
 Ah ! then in vain she call'd upon her King,  
 Her Father, urged him by a parent's love  
 To save his wretched child ; while ruthless hands  
 Bore her all trembling to the altar's base ;  
 Not for her nuptials, not for holy rites  
 Of Hymen, tended on with dance and song,  
 But for a foul and bloody sacrifice.  
 So fell this chaste and gentle victim, slain  
 Ev'n in her hour of marriage, to set free  
 Their windbound navy from the fancied wrath  
 Of adverse Deities : to such deep guilt  
 Could Superstition prompt a Father's heart.

dicam, audacius paulo fortasse, sitis accepturi; mihi vero persuasissimum est, et in animo penitus insitum, nullum omnino esse officium aut opus humanum, ubi magis oporteat Deum invocare adiutorem, vel in quo magis liceat sperare præsens ejus numen invocanti adfuturum.

Jam vero, Academici, quæ præter modum celebrationis hujusce dixi, ea spero neque molesta neque intempestiva vobis esse visa. Ego autem semper existimavi, si quid dicendo proferre possem, quod juvenum Academicorum usui et commodo inferviret, id esse vel officii mei partem, vel saltem non culpabilem voluntatem. Quocirca facile veniam a vobis, venerabiles Viri, confido me impetraturum, qui ad idem opus diligenter et ipsi intenditis, et cæteros incitatis. Quod cum alias sæpe, tum maxime nuper fecistis, præclara illa Lege de exercitiis Academicis, magno cum assensu promulgata atque lata. Quare incumbite, oro, in causam, ut facitis: nunquam inter juniores et vos consensus major in ulla causa fuit. Pergite modo, et invigilate in legem vestram; generosa adolescentium indoles reliqua perficiet. Videre jam videor juvenes ad studia gloria incensos, et honores emulatione laudatissima petitos, et omnia circum ardore novo et diligentia incredibili fervere. Faxit Deus ille O. M. cujus auxilium atque præsens numen in omnibus honestis studiis implorare fas est, ut quæ vos pro religione et moribus, pro literarum et bona-

rum artium incremento, pro dignitate et fama Academiae,  
provide ac sapienter instituisse, ea omnia bene, feliciter,  
prosperare, et nunc et in posterum eveniant.

F I N I S.





























